



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

Primam, ut discamus exemplo Davidis, contra omnes persecutores, armis orationis ad initium diei communiri.

PSALMUS LIV.

Titulus : *In finem, in carminibus intellectus David.*

In titulo nihil est, quod non sit aliàs explicatum.

Argumentum esse volunt S.S. Hilar. & Hieron. de passione Christi; S.S. Euthym. & Theodoret. de Davide fugiente persecutionem Saulis, vel potius Absalonis; S. August. de homine justo in tribulatione posito, sive de Corpore Christi, quod est Ecclesia. Quae expositiones omnes admitti possunt.

ψ. 1. *Exaudi Deus Orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.*

Incipit quasi captando benevolentiam Judicis, ac petit, ut benignè, & attentè audire velit. *Exaudi &c.* Et ne fortè oratio, vel persona orantis displiceat, subdit : *Ne despexeris humilem, & simplicem precem meam; benignè me respicè, & benignam aurem mihi porrige.*

ψ. 2. *Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.*

Expo-

Exponit materiam orationis. Fleui, dum exercerer cogitando, & mecum ipse conferendo miseras meas; nec ob præsentis solum fleui, sed & timui futuras conturbatus à voce inimici, comminantis longè pejora, & à tribulatione, quam minabatur peccator inimicus meus. Per inimicum peccatorem intellige Saulem, vel Absalonem respectu Davidis; Caipham, & Annam respectu Christi; quemvis persecutorem respectu hominis justii.

ψ. 3. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi.*

Ostendit, non vanam fuisse turbationem suam. Quoniam inimici projecerunt in me falsa crimina, convicia, calumnias; & ob iram in me conceptam, molesti erant non verbis tantum calumniantes, sed & factis me persequentes.

ψ. 4. *Cor meum conturbatum est in me: formido mortis cecidit super me.*

Explicat magis conturbationem suam. *Cor meum* &c. & cum nulla res magis ad intima descendit, & totum hominem turbat, quam mortis imminentis periculum, subdit: *Formido mortis* &c. Hoc impletum est in Davide, cum plorans fugeret à facie Absalon; item Christo pavente, & sanguinem in horto sudante.

ψ. 5. *Ti-*

✠. 5. *Timor , & tremor venerunt super me , & contexerunt me tenebræ.*

Dicit idem aliis verbis. Timor in animâ erat, tremor in corpore ; tenebræ autem mœroris totum hominem operuerant. Ut lætitia cor dilatat, sic mœstitia illud constringit, obducit, & sic tenebras facit ; unde mœsti tenebras quærunt, abdunt se in cubicula, fenestras claudunt.

✠. 6. *Et dixi, quis dabit mihi pennas, sicut columba, & volabo, & requiescam.*

Verba sunt iusti suspirantis ad Patriam Cælestem, nec enim alibi vera requies invenitur. O si jam possim ad altissimos montes Cælestis Jerusalem confugere, quo modo columba potest pernicitate suâ ungues accipitris evadere ; Propriè iustus columbæ comparatur, hoc animal innoxium, fœcundum, simplex, non pugnando, sed fugiendo vincit: sic iustus Dæmonem fugiendo potiùs, quàm disputando vincere solet.

✠. 7. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*

David fugiens Saulem, & postea Absalomem, ad desertum se contulit. Sensus est: quia non datur mihi, ut instar columbæ ad locum veræ quietis ascendam, feci, quod potui: nam *elongavi &c.* Iustus tribulatus cum non possit
ad

ad Patriam migrare, elongat se cogitatione à tumultibus sæculi, quantum potest, & in solitudine cordis, ac conscientiæ, cum solo Deo loquens, aliquantulam quietem invenit.

ψ. 8. *Exspectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.*

In eâ solitudine exspectabam ejus, Dei auxilium, qui aliàs me salvum fecit, & facere solet à parvo animo ad tolerandum, & à magnâ tentatione. Nota necessitatem auxilii: si parvitati animi contingat parva, aut magno animo magna tentatio, æquale erit certamen; si verò parvo animo accidat magna tentatio, intolerabilis erit. Hoc ait David sibi accidisse; ideo petit à Deo, ut sibi vel addat vires, vel diminuat tentationem, vel (quod magis optandum) utrumque faciat.

ψ. 9. *Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.*

Quia exspectabat salutem à Domino per orationem, orat Deum, ut impediatur consilia hostium suorum. Præcipita in profundum (sic sonat vox hebræa, & græca) inimicos meos. Tum addit modum præcipitationis: fac, ut, qui contra me conspirarunt, non conveniant in consiliis suis; sed unus hoc, alius aliud judicet, & loquatur: quod etiam factum esse docet

docet L. 2 Reg c. 17. & 18. *Quoniam vidi*
Ec. Viderat David in Jerusalem proditionem
 iniquissimam adversus personam suam, item
 contradictionem, seu rebellionem, quia con-
 tradicebant ejus imperio, cum Absolonem in
 Regem elegissent. Possunt hæc exponi de Chri-
 sto; item de viro justo, quem injustè perse-
 quuntur, & cui contradicunt cives Babylonix,
 seu amatores mundi.

¶ 10. *Die ac nocte circumdabit eam super*
muros ejus iniquitas: Et labor in medio ejus,
Et injustitia.

¶ 11. *Et non defecit de plateis ejus usu-*
ra, Et dolus.

Pergit describere iniquitatem civitatis, se
 persequentis. Iniquitas super muros ejus consi-
 stens, circumdabat eam, instar custodiæ mili-
 taris, ne scil. justitia posset accedere. Intus in
 urbe tantum erat labor miserorum, & inju-
 stitia potentiorum, ac divitum pauperes, &
 imbecilles opprimentium, & vexantium do-
 lis, insidiis, usuris publicis, & occultis. Hæc
 etiam conveniebant tempore Christi; item Ba-
 bylonix, seu amatoribus mundi, ubi regnat
 concupiscentia carnis, oculorum, & super-
 bia &c.

¶ 12. *Quoniam si inimicus meus maledi-*
xisset mihi, sustinuissem utique.

B

¶ 13.

¶. 13. *Et si is ; qui oderat me , super me magna locutus fuisset ; abscondissem me forsitan ab eo.*

¶. 14. *Tu verò homo unanims , Dux meus , & notus meus.*

¶. 15. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos , in domo Dei ambulavimus cum consensu.*

Conquestus erat de totâ civitate, & populo, nunc queritur de uno particulari proditore, qui videtur fuisse Achitophel. *Si inimicus &c.* æquo animo tulissem, quia hic solet id facere, nec mirum, si faciat. *Et si is, qui oderat me*, ita ut apertè se hostem profiteretur, me valde calumniatus fuisset, ego forsitan abscondissem me ab eo, ut ejus iram lenirem, nec darem occasionem majorum convitiatorum. Sed à te abscondi non poteram, nec talem proditorem expectassem, quia amicissimus meus, unum cor, & unam animam mecum habens; & *Dux*, seu Consiliarius meus primarius, cujus ego sententiam in rebus agendis semper sequebar; nec fuit inter nos ulla dissensio in iis, quæ ad cultum Dei pertinent; & *notus*, seu familiaris meus, & commensalis, qui *simul mecum &c.* dicuntur dulces cibi, quia amicitia convivarum eos facit dulciores. Si Psalmus exponatur de Christo, hæc conveniunt Judæ; si de homine justo

sto generatim, proditor: erit quivis falsus ami-
cus.

ψ. 16. *Veniat mors super illos, & descen-
dant in infernum viventes.*

Imprecatur, seu potius prædicit eam pæ-
nam, quam justè dederunt Dathan & Abiron
Num. 16., qui *videntes perierunt*, h. e. vi-
dentes se absorberi à terra, & vivos sepeliri,
perierunt. Hoc impletum est in iis, qui duce
Absalone, Davidem persequabantur; vide 2.
Reg. 18. Idem impletum est in Judæis tempo-
re obsidionis Hierosolymæ, vel fame caden-
tibus, vel ex muris se dejicientibus &c. Im-
pletur in impiis, qui sponte degunt, & per-
severant in eo statu, in quo sciunt se salvari
non posse.

ψ. 17. *Quoniam nequitia in habitaculis eo-
rum, in medio eorum.*

Et meritò absorbentur viventes à terrâ, ut
perpetuò habitent cum pœnis, qui elegerunt
habitare cum vitiis: nam *nequitia in habita-
culis eorum*, non vacuis, sed *in medio eorum*,
h. e. cum ipsis in eisdem habitaculis commo-
ratæ sunt.

ψ. 18. *Ego autem ad Deum clamavi, &
Dominus salvabit me.*

ψ. 19. *Vespere, & mane, & meridie nar-
rabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.*

Prædixit interitum inimicis ; nunc sibi salutem prædicit. *Ego clamavi ad Dominum ardenti oratione, & ipse salvabit me à periculo, in quo versor ; Et deinceps clamabo non semel, sed etiam secundò, & tertio, Vespere, & mane, & meridie, narrando, & annuntiando ærumnas meas, & misericordias Domini, & Dominus exaudiet me.*

ψ 20. *Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi : quoniam inter multos erant mecum.*

Explicat, in quo sit exaudiendus à Deo. Loci obscurissimi sensus videtur esse hic : Deus liberabit vitam meam, transferendo eam à prælio appropinquantium contra me, ad optatam pacem ; & hoc ideo faciet, quia iniquum erat, ut multi contra me unum pugnarent. Vel hic : redimet sinè labore vitam meam ab his, qui appropinquant, ut mihi noceant : nam proditoriè contra me pugnant, qui paulò antè inter multos alios in castris meis militabant. Impletum est in Davide, qui 2. Reg. 18. domi remanens, sinè labore vicit Absalonem. Impletum in Christo, sinè labore, in pace à mortuis resurgente.

ψ. 21. *Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante secula.*

Exaudiet me, qui oppugnor injustè, & eos,
qui

qui me oppugnant , humiliabit Deus creator
 sæculorum.

ψ. 22. *Non enim est illis commutatio , &
 non timuerunt Deum : extendit manum suam
 in retribuendo.*

Meritò humiliabit eos justus Judex , quia
 obdurati sunt , nec pœnitent eos sceleris sui , &
 homines magis , quàm Deum reveriti sunt :
 ideo Deus *extendit manum suam in retribu-*
endo singulis , prout merebantur.

ψ. 23. *Contaminaverunt testamentum ejus,
 divisi sunt ab ira vultus ejus , & appropin-*
quavit cor illius.

Hic ψ. obscurissimus est ob mutationem
 numeri singularis in pluralem. Omissis aliis,
 sensus erit : Deus justè extendit manum su-
 am ad puniendos hostes meos : hi enim non
 solùm non voluerunt mutari de vitio ad vir-
 tutem ; sed magis , ac magis contaminârunt
 pactum ejus malis suis operibus ; & ideo dis-
 sipati sunt ab irâ vultûs Dei , quia Dei cor
 appropinquavit ad illos puniendos.

ψ. 24. *Molliti sunt sermones ejus super ole-*
um , & ipsi sunt jacula.

Redit ad malitiam præcipui proditoris , A-
 chitophelis respectu Davidis ; Judæ respectu
 Christi. Ejus sermones , qui molles sunt præ
 oleo , non sunt verba , sed jacula , seu lan-

ceæ : delectant aures , feriunt corda. Tales sunt occultæ detractiones , blanditiæ meretricum , persuasiones hæreticorum.

ψ. 25. *facta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem justo.*

Consolatur David in fine Psalmi se , & sibi similes. Relinque, O anima mea , & quisquis times Deum , providentiæ divinæ curam sustentationis , & protectionis tuæ : ipse tibi necessaria omnia providebit , prosperans omnia opera tua. Si aliquando fluctuari justum permiserit ad probandam patientiam , seu defectu alimenti , seu persecutione , tamen hæc non diu durabuunt.

ψ. 26. *Tu verò Deus deduces eos in puteum interitûs.*

Tu verò Deus Judex impios deduces in puteum mortis , unde nunquam emergere poterunt , & perpetuò moriuntur : vivent enim semper in pœnis , ut semper moriantur , & mortis finem , quem cupiunt , nunquam inveniant.

ψ. 27. *Viri sanguinum , & dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem sperabo in te Domine.*

Non solùm viri, qui insidiantur sanguini , deducuntur in puteum mortis æternæ ; sed etiam

am

am hinc in terris non diu vivent : justum enim
 iudicium est, ut, qui vitam eripiunt, vitam
 perdant. Illud, *non dimidiabunt*, non est ac-
 cipiendum mathematicè ; sed indicatur tan-
 tum vitæ brevitatis. Tum Propheta concludit
 verbis sibi familiaribus : Ego autem, tum ut
 liberer à proditoribus ; seu occultis, seu mani-
 festis ; tum ut non incidam in pœnas impio-
 rum, in puteum interi us ; ut dies mei in me-
 dio cursu non deficient, sperabo in te, Do-
 mine, non in viribus meis.

PSALMUS LV.

Titulus : *In finem pro populo, qui à Sanctis
 longè factus est. David in tituli inscrip-
 tionem, cum tenuerunt eum Allophyls in Geth.*

*Titulus exprimit Argumentum, authorem,
 & excellentiam Psalmi : sed hæc omnia pen-
 dent ex historiâ L. 1. Reg. C. 21. Fugerat.
 David fugiens Saulem, qui eum quærebat ad
 necem, pervenit ad Achis Regem Geth Philis-
 tæum. Sed à Philistæis agnitus, & detentus
 tanquam hostis ipsorum, simulavit insaniam,
 & furorem ; quo modo è manibus eorum elap-
 sus, venit in speluncam quandam, ubi ad eum
 congregatus est populus 400. hominum exu-
 lum, & miserorum : qui scilicet, elongatus à
 Sanctis, seu ad tabernaculum Dei accedere*